ORATIO

HABITA

IN AEDIBVS SEMINARII PVTEOLANI

IN EXITV ANNI SCHOLASTICI MDCCCXXII.

Cum tantus per se sit nudae virtutis splendor, cumque tam longe lateque sese diffundat, ut vel invitos hominum oculos ad se rapiat, et nulla unquam maligna arte queat occultari; mirandum sane est, quo pacto eveniat, ut rari admodum eius pulchritudine pelleeti ad eam adsequendam, atque amplexandam incitentur. Id enim vero deploratissimum humanae naturae vitium est, quae, ut ut meliora suspiciat probetque, in deteriora infelicissime prolabitur. Hinc omnium aetatum sapientes in eo adlaborarunt, ut, si quo pacto possent, huic naturae vitio occurrerent inventis vel stimulis, qui ad virtutem consectandam incitarent, vel froenis ac repagulis, quibus, ne in proclive vitiorum excurrerent, homines continerentur. Hinc multiformis legum farrago: hinc varia praemiorum, et poenarum adinventio: hinc innumera Philosophorum documenta atque praecepta. Sed quid inde? Num hisce adiumentis emendatum est hominum genus? Num legibus satis coërciti? praemiis adlecti? suppliciis deterriti? praeceptis reformati? Minime id quidem, donec in terras Divinus ille Magister descendit, qui non verbis modo ac praeceptis, sed exemplo, labore, atque ope validissima universum hominum genus in rectam virtutis, a qua desciverant, viam revocavit. O divina religio, quantum, bone Deus! infirmae naturae praesidium, atque

adiumentum! Huius sane ope conversa rerum facies: emendati hominum mores: redditus virtuti honor, atque aestimatio. At longo temporis tractu sensim, qui Christo nomen dedere, et virtutem unice profitebantur, a primaeva sanctitate deflectere caeperunt, et immaculatam religionem suis vitiis conspurcarunt; adeo ut eadem prope vitia, atque in dies maiora deploremus. Numne igitur de hominum sobole omnino desperandum? Numne nulla remedio patebit via? Patet una quidem, non modo sapientiorum hominum, sed et divinae ipsius Sapientiae iudicio indicata; atque ea est matura iuventutis ad virtutem institutio; cuius ope puerorum animi, velut tenellae plantae ad pietatem, ad reverentiam, ad obedientiam, ad continentiam mature flectantur; corpora vero laboribus, vigiliis, studiis adsuescant; ut superata sensim naturae pervicacia, in ea morum honestate haud difficili negotio contineri queant, ad quam tum divinis tum humanis legibus, et praeceptis impelluntur: sed ea nimirum est institutio, quam vel neglectam, vel perversam deploramus. Quocirca cum mihi demandatum foret, ut hodierna die argumentum aliquod de more pertractarem, quo vos, optimi adolescentes contubernales, ad virtutis viam alacriter insistendam inflammarem; id mihi sumsi, ut de rectae educationis vi atque efficacia verba facerem. Itaque paucis ad vestrum captum argumentis ostendere satagam, tum quanta sit educationis vis, et quam facile sibi muniat ad virtutem iter, si cui recta illa contigerit, tum vero quaenam optima educatio dicenda sit; ut vestra sorte, quando eam nacti estis educationem, qua rectissime ad virtutem manuducimini, contenti vivatis. Attendite quaeso, bonae spei iuvenes, vosque, Auditores ornatissimi, meam qualemcumque oratiunculam auctoritate vestra roborate.

Quanta sit in mundanis rebus adsuetudinis vis atque potestas, quis non expertus est, vel ignorat? Tanta profecto est, ut, si naturae vim excipias, nulla in terris maior exsistat; et quae vel naturam ipsam sensim emollire, flectere, atque enervare valeat. Natura enim paullatim usui cedit, atque hic naturae vices subit, ut scite cecinit Ovidius: *naturam fecerat usus.* Namque nos *sic a natura comparatos*, aiebat magnus ille philosophiae magister Quintilianus,

ut eorum tenacissimi simus, quae rudibus annis percepimus, et in universa natura tantopere esse habitum, tantaque virtute ac vi praeditam assuetudinem, ut ipsius naturae leges infirmare valeat. Et quidem eam vim in humanis tantum agnovimus, sed per universum gliscere admiramur. Sic novimus arbores, et fruges e diversis caeli regionibus translatas paullatim novo caelo sic adsuescere, ut ab indigenis nihil fere distent: quin et agrestes plantas a sagacibus cultoribus tractatas nativam adsperitatem sensim exuere, et dulces fructus proferre. Sic bruta animalia froenis, iugis, clitellis portandis quotidie consuefiunt, et hominum servitio non sine docilitate et patientia mancipantur. Sic et aves, et ferae ipsae immitiores, si a teneris diligenti manu tractari consuescant, non modo ab hominum consortio non abhorrent, sed et iis grata praestant officia: quod aptissimo vocabulo Latini dixerunt *mansuefieri*. Contra vero tum mitiores arbores, tum domestica animalia, si crescere in agris sine cultu, et vagari sine lege sinas, paullo mox sylvescere, et efferari deprehendes. Numne inter homines, utpote ratione praeditos, minor erit vis consuetudinis?

Quin imo nullum animal sive duris, sive arduis, sive bonis, sive malis longo usu magis occallescit. Usu homines sub diversis caeli zonis habitantes vel frigoris, vel caloris aestus immodicos tolerant. Usu variis cibis quisque contentus vivit, et robustus. Vario ab usu sub eodem caelo nati alius aëris intemperiem nudo fere corpore sub dio incolumis substinet, de alio, nisi se domi contineat, et vestibus atque igne foveat, conclamatum est. Hic mare, ille agros, alter palaestram, alter bella, artes alter, vel studia, prout adsuevit, alacris exercet. Nec alia sane de causa patriam tellurem tantopere deperit quisque, nisi quia ibidem vivere a teneris adsuevit. Ad summam nihil prope est, quod diuturno ab usu non facile, et durabile hominibus evadat: nihil contra, quod non perdifficile, et importabile illi, qui careat usu, videatur: *adeo*, ut ait Poëta, *in teneris consuescere multum est.*

Iam vero quid aliud est educatio, de qua sermonem habemus, nisi prima puerorum manuductio ad acquirendum usum earum re-

rum, queis ab bene et honeste vivendum est opus? Si igitur omnium magistrorum optimus est usus, et adeo tenax est vis consuetudinis, ut naturam ipsam et emollire, et domare valeat; an erit dubitandum beatissimum fore illum puerulum, qui ab optimo paedagogo tempestive manuducatur ad laborem, ad sobrietatem, ad obedientiam, ad omnigenam denique virtutem, ut cum ea consuescat, antequam natura suas integras exserat vires, adeo ut, quasi tenella in cunabulis flectatur et coërceatur? Idcirco Sapientes fere omnes in id conspirarunt, mature inserenda esse puerorum animis virtutum semina; velut enim *testa recens imbuta*, ut cum Flacco loquar, *diu servabunt odorem.*

Et re quidem vera stultus nae sim, si illis libenter adsentiar, qui a varia caeli climatum temperie varias populorum vel virtutes, vel vitia ortum ducere existimarunt. Non equidem negaverim in varia terrarum positione variam etiam corporum temperaturam existere, quae ad quasdam virtutes, vel vitia magis minusve animos inclinet; sed inde tantum diversos hominum mores aestimandos esse, nec provida educatione, si quae sunt, naturae vitia emendari posse, id vero nego. Num ne celebratissimam Spartanorum severitatem aëris temperamento potius, quam Lycurgi legibus, queis tantopere de puerorum educatione ac disciplina cautum fuerat, adceptam referemus? Num vel veterum Romanorum bellicosa virtus, vel indomita Gallorum ferocia, vel infamis Sybaritarum luxus illarum regionum climatis adscribentur? Eccur ergo ante Lycurgum natum morum licentia infames erant Lacaedemonii? Eccur iisdem in terris tam varios a priscis indole et moribus praeditos populos victitare hodie novimus? Eccur antiqui moris neque vola, neque vestigium amplius illis in gentibus deprehenditur? Itaque si sub eodem caelo adeo variata est hominum indoles, id non alia ex causa, quam ex variata hominum illorum institutione derivabimus.

Enimvero educatio illa est, quae primas boni vel mali, decori vel indecori, gloriae vel dedecoris notiones animis puerilibus consignat. Ipsa est, quae ad hanc potius, quam illam viam ineundam pueros quotidie urget, atque impellit. Ex frequenti autem usu consuetudo

illa exoritur, quae faciliorem in dies, et magis tritam viam ipsam reddit. Ex consuetudine demum exurgit ille, quem animi habitum adpellarunt philosophi, ex quo omnis virtutis, vel vitii ratio constat. Non enim una actio, vel altera virtutis nomine condecoratur, sed constans et perpetua bene agendi voluntas, quae animo insideat: quae nempe voluntas, si cum facultate ex frequentibus actibus comparata copuletur, habitus animi est, qui ipsa natura tenacior evadit. O beatum igitur puerum illum, cui sorte obtigit ita educari, ut facilem sibi ad virtutem muniat viam! Contra infelicissimum, cui vel depravatae naturae callem nullo adhibito froeno currere permissum est, vel etiam pravi monitoris stimulis in praeceps impellatur. Uterque enim, teste Divino proverbio, *iuxta viam suam*, *etiam cum senuerit*, *ab ea non recedet*.

Atque id quidem unicuique, ni fallor, facili negotio persuadebitur: illud nunc disceptandum superest, quaenam sit illa educatio, quae valeat ad bonam frugem pueros instituere; in hoc enim saepe nostri homines falluntur. Litigant quotidie, num poenarum timore, an praemiorum illecebra, an gloriae stimulis, ac frequentibus monitis incitanda sit puerilis aetas ad virtutem. Verum isti, si aliquid sapio, a proposito aberrant. Principio enim id statuendum est totam educationis rationem exemplis constare: praecepta vero, vel praemia, vel paenas esse adiumenta quaedam ad frangendam indolem fortasse pervicaciorem; sed nisi exemplorum vi fulciantur, vix aut ne vix quidem ab illis est aliquid sperandum. Namque homo puerilibus potissimum annis ad imitandum suapte natura fertur, et incredibilis est ea in aetate vis exemplorum. Exemplo loqui discimus: exemplo labantes gressus firmamus: exemplo, quae ad vitam necessaria, vel utilia sunt sine praeceptore, sine stimulis obire adgredimur: exemplo item quaecumque vel ab aequalibus, vel a maioribus fieri videmus, nullo suasore imitamur. Frustra autem ab imitando verbis, vel fuste deterreas; *quod enim exemplo fit, id iure fieri homines putant*, ut apposite scripsit Tullius. Hinc usu adcedente ad eam vitae rationem, ad quam exemplo ductus est, homo educatur, habitumque induit, a quo raro admodum desciscit. Quisque autem per se

animadvertere potest non uno vel altero exemplo huiusmodi educationem exsistere, sed exemplorum universitate constare. Etsi enim pauca pravitatis exempla pravo adcedente cupidine ad vitia non raro violenter impellunt; attamen, cum ad virtutem animi sunt inclinandi, opus est, ut quocumque respiciant, eorumdem exemplorum habeant incitamenta.

Hinc validissima in primis est publica educatio, cum scilicet populi mores universim exempla virtutum suppeditant; privata vero infirma nimis et imbecilla, si cum publicis exemplis sit obluctandum. Fac enim misellum puerum ea in urbe natalem habuisse, ubi nulla habetur religioni reverentia, ubi cives passim in triviis otio marcescunt, mendaciis atque calumniis invicem se impetunt, vino et crapulae impotenter indulgent, obscaenis verbis actibusque coinquinantur, nulloque in pretio virtus publice habetur; quonam pacto efficies, ne horum exemplorum torrente abripiatur? Num flagellis? an munusculis? an praeceptis? an monitis? Surdo fabulam cantabis. Contra fac, puer iste adhuc infantulus caelum mutet, et in eas regiones traducatur, ubi religio in pretio habeatur, ubi gnavi homines, laboris patientes, vel continentes ac sobrii, vel verbis parci et veritatis amatores, vel gloriae cupidi suis oculis obversentur, nonne similes cum illorum lingua mores addiscet? Hujusmodi nempe educatio, quae ab exemplorum universitate exurgit, illa est, quae mirum in modum sese in puerorum animos insinuat, altasque radices agit, ut difficillime queat evelli. Sed ubinam publica haec virtutum exempla in tanta morum corruptela inveniemus? Id scilicet deplorandum. Atque utinam providentissimo Regi nostro id D. O. M. concedat, ut, quod unice deperit, subditi sibi populi religionis ope novos sapientiores mores induant! Interim vero ecquodnam suppetit remedium, ut aliqua saltem puerorum pars ab universali contagio abripiatur? Unum profecto, si nempe pueri vel intra domesticos parietes, vel in aliquo ephebeo tam caute custodiantur, ut praecluso omni corrupti moris adspectu optimis tum praeceptis, tum exemplis imbuantur. Ridenda enim prorsus est parentum illorum sententia, qui satis superque suis natis consultum putant, si mercenario paedagogo, vel praeceptori committant, quos